ad auxilium animi. Aſſunt vldin et ſarus·hunorum et gothorum duces · preſidio Romanorum, Sed non ſinit deus potentie ſue v̄tute hominum ac maxime hoſtium videri. Conterritum diuinitus Ragadniſum in feſulanos montes coegit · eiuſq; ſcōm eos qui p̄ciſſime referunt·cc·milia hominum inopum conſilij · et cibi·in arido et aſpero montis iugo vrgente vndiq; timore concludit · agminaq; quibus duudum anguſta videbatur italia·latendi ſpe in vnū ac paruum in verticem trudit, Quid multis morer. Non diſpoſita in bellum acies fuit · non furor timorq; incerta pugna pretulit · non cedes acta · non ſanguis effuſus eſt · non poſtremo qđ felicitatis loco deputari ſolet · damna pugne euentu compenſata victorie · edentibus bibentibus ludentibuſq; noſtris · tanti illi tanq̄m immanes hoſtes · eſurientes · ſicientes · languenteſq; confecti ſunt · parū hoc eſt · niſi captum et ſubiugatum ſciant · quem timuere Romani · illumq; ydolatram ſuum · cuius ſacrificia ſe magis pertimeſcē q̄m arma fingebant · ſine prelio victum ac vinctum ſub iugo catenisq; deſpiciant. Igitur rex Ragadaiſus · ſolus ſpem fuge ſumens · clam ſuos deſeruit·atq; in noſtros incidit, A quibus capt9 et pauliſper retentus · ac deinde interfectus eſt, Tanta vero multitudo captiuorum gothorum fuiſſe fertur · ut viliſſimorum pecudum modo · ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur Sed nichil ſupereſſe deus de eodem populo ſinit, Nam ilico cunctis qui emebantur morientibus·qđ improbi emptores eorum non impenderunt turpiter precijs · expenderunt miſericorditer ſepulturis.

Igitur ingrata Roma que ſicut non ſenſit non ad remittendam ſed ad reprimēdam ydolatrie preſumptionem · iudicis dei obliquā miſericordiam · ita continuo propter viuorum mortuorumq; aroꝝ impiam recordationem dei iram paſſuram non plena · ſi forte cō-fuſa peniteat · et per experientiam fidem diſcat · ab incurſu alarici regis et hoſtis · ſed criſtiani · aliquantulo ad tempus ſpacio differtur. Interea Comes Stilico · wandalorum in bellis ·auare·p̄fide·et doloſe gentis genere editus · paruipendens qđ ſub imperatore imperabat · eucherium filium ſuum ſicut a pleriſq; traditur · iā inde criſtianorum perſecutionem a puero priuatoq; meditantem ·

in imperium quoquo modo ſubſtituere nitebatur · Quamobrem alaricum cunctamq; gothorum gentem ꝓ pace optima · et quibuſcumq; ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter orantē · occulto federe fouens publice autem et belli et pacis copia negata · ad terrendam terrendamq; rempublicam reſeruauit, Preterea gentes alias copijs viribuſq; intolerabiles · quibus nunc galliarum hiſpaniarumq; ꝓuincie premuntur hoc eſt · halanorum · ſueuorum · wandalorum · ipſorumq; ſimul motu impulſorum Burgundionum · vltro in arma ſollicitans · deterſo ſemel Romani nominis metu ſuſcitauit eas Interim ipſas ripas rheni quatere · et pulſare gallias voluit · ſperans miſer ſub hac neceſſitatis circumſtantia · quia et extorquere imperium genero poſſit in filio · et barbare gentes tam facile comprimi q̄m commoueri valerent · Itaq; vbi imperatori honorio exercituiq; Romano hec tantorum ſcelerum ſcena patefacta eſt · cōmoto iuſtiſſime exercitu · occiſus eſt ſtilico · qui ut vnum puerum purpura indueret · tocius generis humani ſanguinem dedidit ·

Occiſus eſt et eucherius · qui ad conciliandum ſibi fauorem paganorum reſtitutionem templorum et euerſione eccleſiarum · imbuturum ſe regni primordia minabatur · paucique cum hiſdem ſatellites tantarum molitionum puniti ſunt. Ita minimo negocio · paucorumq; pena eccleſie criſti cum imperatore religioſo · et liberate ſunt et vindicate.

Capitulum xliiij ·

Itaq; poſt hec tanta augmenta blaſphemiarum · nullamq; penitentiam · vltima illa diuq; ſuſpenſa vrbem pena cōſequitur Adeſt alaricus trepidam romam obſidet · turbat · irrumpit · dato tamen precepto · ut ſiqui in ſancta loca · precipueq; in ſanctorum apoſtolorum petri et pauli baſilicas confugiſſent · hos in primis inuiolatos ſecuroſq; eſſe ſinerent · tum deinde in quantum poſſent prede inhiantes a ſanguine temperarent · Accidit quoq; quo magis illa vrbis irruptio indignatione dei acta · q̄m hoſtis fortitudine probaretur · ut beatus innocentius Romane vrbis epiſcopus · tanquā iuſtus ſubtractus a ſodomis · occulta prouidentia dei apud rauennam tunc poſitus · peccatoris tunc populi non videret

excidium, Diſcurrentibus per vrbem barbaris · forte vnus go=
thorum idemꝗ potens & criſtianus · ſacram deo virginem etiam
etate prouectam · in quadam eccleſiaſtico domo reperit, Cunꝗ
ab ea aurum argentumꝗ honeſte expoſceret · illa fideli conſtantia
eſſe apud ſe plurimum · et mox proferendum ſpopondit · ac pro=
tulit, Cunꝗ expoſitis opibus attonitum barbarum · magnitu=
dine · pondere · pulcritudine · ignota etiam vaſorum qualitate
intelligeret · virgo criſti ad barbarum ait, Hec petri apoſtoli ſa=
cra miniſteria ſunt · preſume ſi audes, De facto tu videris · ego
quia defendere nequeo · tenere non audeo, Barbarus vero ad re=
uerentiam religionis timore dei · et fide virginis motus · ad ala=
ricum hec per nuntium retulit, Qui continuo reportari ad apo=
ſtoli baſilicam vniuerſa ut erant vaſa imperauit · virginem etiã
ſimulꝗ omnes qui ſe adiungerent criſtianos · eodem cum defenſi=
one deduci, Ea domus a ſanctis ſedibus longe ut ferũt et medio
interiectu vrbis aberat, Itaꝗ magno ſpectaculo omnium diſpo=
ſita per ſingulos ſingula et ſuper capita elata · palam aurea atꝗ
argentea vaſa portantur, Exertis vndiꝗ ad defenſionem gla=
dijs · pia pompa munitur · ymnum deo romanis barbariſqꝫ cõ=
cinentibuſqꝫ publice canitur · perſonat late in excidio vrbis ſa=
lutis tuba · omneſqꝫ etiam in abditis latentes inuitat ac pulſat,
Concurrunt vndiꝗ ad vaſa petri vaſa criſti · plurimi etiam pa=
gani criſtianis profeſſione · et ſi non fide admiſcentur · et per hoc
tamen ad tempus quo magis confundantur euadunt, Quanto
copioſius aggregantur Romani confugientes · tanto auidius
circumfunduntur barbari defenſores, O ſacra et ineffabilis diui=
ni iudicij diſcretio, O ſanctum iſtud et ſalutare flumen · qđ par=
ua exortum domo · dum beato alueo in ſanctorum ſedes tendit ·
oberrantes periclitanteſqꝫ animas ĩ ſalutis ſinum pia rapacita=
te prouexit, O preclara illic criſtiane militie tuba · que generali=
ter cunctos dulciſſimo ad vi[illegible]n modulamine inuitans · quos ad
ſalutem inobedientes non ſuſcitauit · inexcuſabiles reliquit ad
mortem, Miſterium hoc quod in transferendis vaſis · dicendis
ymnis · ducendis populis fuit · tanꝗ̄m magnum cribrum fuiſſe

arbitror · per quod ex congregatione populi romani · tanq̄m ex
magna maſſa frumenti · per omnia ex vniuerſo ambitu ciuita=
tis latebrarum foramina effluxere grana viua · ſiue occaſione
ſiue veritate commota · omnia tamen de preſenti ſalute credentia
ex horreo dominice preparationis accepta ſunt · reliqua vero ve:
lut ſtercora · et velut palee · ipſa vel incredulitate vel inobedi=
entia preiudicata · ad exterminium atqꝫ incendium remanſerunt
Quis hec perpendet plenis miraculis . Quis predicare dignis
laudibus queat . Tercia die barbari qm̄ ingreſſi vrbem fuerant
ſponte diſcedunt · facto quidem aliquantarum edium incendio ·
ſed ne tanto quidem quantum · ſeptingenteſimo conditionis eiꝰ
anno caſus effecerat. Nam ſi exhibitam neronis imperatoris ſui
ſpectaculis inflammationem recenſeam · proculdubio nulla cō=
paratione equiperabitur · ſecundum id quod excitauerat laſciuia
principis · hoc quod nunc intulit ira victoris, Neqꝫ vero gallo:
rum meminiſſe in huiuſmodi collatione debeo, Et ne quiſq̄m
forte dubitaret ad correptionem ſuperbie · laſciuie · et blaſphemie
ciuitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum · eodem tempore clariſſima vr:
bis loca fulminibus diruta ſunt · que inflammari ab hoſtibus
nequiuerunt.

Capitulum ·xlv·

ANno itaqꝫ ab vrbe condita · milleſimo centeſimo ſexageſi:
moquarto · irruptio vrbis per alaricum facta eſt , Cuius
rei q̄muis recens memoria eſt · tamen ſiquis ipſius populi roma
ni et multitudinem videat · et vocem audiat · nichil factum ſicut
etiam ipſi fatentur arbitrabitur · niſi aliquantis adhuc exiſtenti:
bus ex incendio ruinis forte doceat r. In ea irruptione placi:
di theodoſij principis filia · archadij et honorij imperatorum ſo:
ror · ab Athaulfo alarici propinquo capta · atqꝫ in vxorem aſ:
ſumpta · quaſi eam diuino iuditio ſpeciale pignus obſidem Ro:
ma tradiderit · ita iuncta potentiſſimo barbari regis coniugio ·
multo reipublice commodo fuit, Interea ante biennium Ro:
mane irruptionis · excitate per ſtiliconem gentes alanorum ut
dixi · ſueuorum · wandalorum · multeqꝫ cum his alie · francos
proterunt · Rhenum tranſeunt · gallias inuadunt · directoqꝫ

impetu pyreneum vſqʒ perueniunt. Cuius obiͤce ad tempus re=
pulſe · per circumiacentes prouincias refunduntur. His per gal=
lias bachantibus apud britannias gracianus municeps eiuſdem
inſule · tirannus creatur · et occiditur. Qui continuo ut inuaſit im=
perium in gallias tranſijt. Ibi ſepe a barbaris incertis federibus
illuſus · detrimento magis reipublice fuit. Miſit in hiſpanias iu
dices · quos cum prouincie obedienter accepiſſent · duos fratres iu=
uenes nobiles et locupletes · didimus · et verinianus · non aſſū=
ſere aduerſus tirannum quidem tirannidem · ſed imperatori iuſto=
aduerſus tirannum et barbaros tueri ſeſe patriamqʒ ſuam moliti
ſunt. Quod ipſo geſte rei ordine patuit. Nam tirannidem nemo niſi
celeriter maturatam inuadit · et publice armat · cuius ſumma eſt
aſſumpto dyademate ac purpura videri anteq̄m ſciri Hi vero plu=
rimo tempore ſeruulos tantum ſuos ex proprijs predijs colligentes
ac vernaculos alentes ſumptibus · nec diſſimulato propoſito abſqʒ
cuiuſdam inquietudine ad pirenei clauſtra tendebat. Aduerſus
hos Conſtantinus conſtantem filium ſuum proch dolor ex mona=
cho ceſarem factum · cum barbaris quibuſdam qui quondam in
fedus recepti atqʒ in miliciam allecti · honoriaci vocabantur in hi=
ſpanias miſit. Hinc apud hiſpanias prima mali labes fuit. Nam
interfectis illis fratribus qui tutari priuato preſidio pyrenei alpes
moliebantur · his barbaris quaſi in precium victorie primum p̄=
dandi in paleſtinis campis licentia data · dehinc ſupradicti mon=
tis clauſtrorumqʒ eius cura promiſſa eſt · remota ruſticanorum fide=
li et vtili cuſtodia. Igitur honoriaci imbuti preda · et allecti ha=
bundantia · quo magis ſcelus impunitum foret · atqʒ ipſi ſceleri
plus liceret · prodita pyrenei cuſtodia · clauſtriſqʒ patefactis · cun=
ctas gentes que per gallias vagabantur · hiſpaniarum prouincijs
immittunt · hiſdemqʒ ipſi adiunguntur · vbi actis aliq̄mdiu ma=
gnis cruentiſqʒ diſcurſibus · poſt graues rerum atqʒ hominum va=
ſtaciones de quibus ipſi quoqʒ nodo penitent · habita ſorte et diſtri=
buta · vſqʒ ad nunc poſſeſſione conſiſtunt. Multa nunc michi de
huiuſcemodi rebus loquendi facultas foret · ſi non ſecundum om=
nes homines · apud vniuſcuiuſqʒ mentem conſcientia ſecreta loq̄=
retur. Irrupte ſunt hiſpanie · cedes vaſtationeſqʒ paſſe ſunt. Nichil

quidem nouum • hoc enim nunc per biennium qͦ hoſtilis gladius
ſeuit • ſuſtinuere a barbaris • qͦ ꝑ cc • quondã annos paſſe fuerant
a Romanis • qͦ etiam ſub gallieno imperatore per annos prope-
modum • xij • germanis euertentibus exceperunt, Veruntamen quis
non ſe • qui ſui ſuorum actuum vel etiam cogitacionum conſcius •
iudicia dei metuit • iuſte omnia paſſum • vel etiam parua ſuſtinuiſ-
ſe fateatur. Aut qui ſe non intelligit deumqꝫ non metuit • quomo-
do non iuſte iſta et quidem parua ſuſtinuit. Que cum ita ſint • il-
lud tamen clementia dei eadem pietate qua dudum predixerat pro-
curauit • ut ſecundum euãgelium ſuum quo inceſſabiliter commo-
nebat • cum vos perſecuti fuerint in vna ciuitate • fugite in aliam •
quiſquis egredi atqꝫ abire vellet • ipſis barbaris mercennarijs • mi-
niſtris ac defenſoribus vteretur. Hoc tunc ipſi vltro offerebant • et
qui aufferre omnia interfectis omnibus poterant • particulam ſtipẽ-
dij ob mercedem ſeruicij ſui et tranſuecti oneris flagitabant. Et hoc
quidem factum eſt Qui autem non crediderunt euangelio dei qua-
ſi contumaces • vel ſi etiam non audierunt • dupliciter contumaces •
non dederunt locum ire • iuſte a ſuperueniente ira comprehenſi &
oppreſſi ſunt • q̃mq̃m et poſt hoc quoqꝫ cõtinuo barbari execrati gla-
dios ſuos • ad aratra conuerſi ſunt • reſiduoſqꝫ Romanos ut ſocios
modo et amicos fouẽt • ut inueniantur iam inter eos quidam Ro-
mani • qui malint inter barbaros pauperem libertatem • q̃m inter
romanos tributariam ſollicitudinem ſuſtinere • tanq̃m ſi ob hoc ſo-
lum barbari Romanis finibus immiſſi forent • qͦ vulgo per orien-
tem et occidentem eccleſie criſti huius ſueuis • wandalis • et burgun-
dionibus • diuerſiſqꝫ et innumerus credentium populis replentur •
laudanda et attollenda miſericordia dei videretur • quandoquidem
et ſi cum labefactione noſtri tante gentes agnitionem veritatis acci-
perent • quã inuenire vtiqꝫ niſi hac occaſione non poſſent, Quid
enim damni eſt criſtiano ad vitam eternam inhianti • huic ſeculo
quolibet tempore • et quoquo pacto abſtrahi. Quid autem lucri ẽ
pagano in medio criſtianorum aduerſum fidem obdurato • ſi pau-
lo diucius diem protrahat • quandoqꝫ morituro • cui deſperata con-
uerſio eſt. Et quia ineffabilia ſunt iudicia dei • que nec ſcire omnia
nec explicare que ſcimus poſſumus • breuiter expreſſeri correptionẽ

iudicis dei quoquo pacto accidat iuſte ſuſtinere qui ſciunt • iniuſte
ſuſtinere qui neſciunt, Ca • xlvi •

ANno ab vrbe condita vnum mille • c • lxv°, Honorius impe:
rator videns tot oppoſitis tirannis • nichil aduerſus barbaros agi
poſſe • ipſos prius tirannos deleri iubet, Conſtantio comiti hu:
ius belli ſumma commiſſa eſt, Senſit tunc demum reſpublica et
quã vtilitatem in Romano tandem duce receperit • et quã eatenus
perniciem per longa tempera barbaris comitibus ſubiecta tolera:
uerit, Igitur Conſtantius comes in galliam cum exercitu profe:
ctus, Conſtantinum imperatorem apud arelatem ciuitatem • clau:
ſit • cepit, Iam hinc ut de cathalago tirannorum q̃m breuiſſime
loquar • Conſtantem Conſtantini filium geroncius comes ſuus •
vir nequã magis q̃m probus apud viennam interfecit • atq; in ei9
locum maximum quendam ſubſtituit, Ipſe vero geroncius a ſuis
militibus occiſus eſt Maximus exutus purpura • deſtitutuſq; a mi:
litibus gallicanis qui in affricam traiecti • deinde in italiam reuo:
cati ſunt • nunc in hiſpania inter barbaros egens exulat, Ioui:
nus poſtea vir galliarum nobiliſſimus • in tirannidem mox ut aſ:
ſurrexit • et cecidit, Sebaſtianus frater eiuſdem • hoc ſolum ut tiran:
nus moreretur elegit, Nam continuo ut creatus • occiſus eſt, Quid
de infeliciſſimo attala loquar • cui occidi inter tirannos honor • et
mori lucrum fuiſſet, Inter hec alaricus imperatore facto • infecto •
refecto • ac defecto • cicius his omnibus actis pene q̃m dictis • nimi:
um riſit • et ludum expectauit imperij, Nec mirum • ſi iure ad põ:
pam miſer luſus eſt • cuius ille vmbratilis conſul tertullus auſus ẽ
in curia dicere • loquar vobis patres conſcripti • conſul et pontifex •
quorum alterum teneo • alterum ſpero • ſperans ab eo qui ſpem non
habebat • et maledictus vtiq; quia ſpem ſuam poſuerat in homine,
Attalus itaq; tanq̃m inane imperij ſimulacrum • cum gothis vſq;
ad hiſpanias portatus eſt, Vnde deſcendens naui • incerta moliẽs
in mari captus • et ad Conſtantium comitem deductus • deinde im:
peratori honorio exhibitus truncata manu vite relictus eſt, He:
raclianus interea comes affrice miſſus • cum idem attalus vmbrã
geſtaret imperij • affricam ſtrenue aduerſum iudices ab eo miſſos
tutatus • conſulatum conſecutus eſt, Quo elatus ſupercilio • ſabinũ

domeſticum ſuum · virum ingenio callidum · induſtriaq; ſolertem e. ſapientem nominandum · ſi animi vires tranquillis ſtudijs accõmodauiſſet generum allegit · cum quo quorundam periculorum ſuſpitiones dum patitur fecit · atq; aliquãdiu affri annona extra ordinem detenta · ipſe tandem cum immenſa certe temporibus noſtris ſatis incredibili claſſe naurum Romam contendit · nam habuiſſe tunc tria milia · dcc · naues dicitur. Quem numerum ne apud xerxen quidem preclarum illum regem perſarum et alexandrum magnum · vel quenq̃m alium regum fuiſſe hiſtorie ferunt. Is ſimul ut cum agmine militum ad vrbem pergens littore egreſſus eſt · occurſu comitis marini territus · et in fugam verſus · arrepta naui ſolus cartaginem redijt · atq; ibi continuo militari manu interfectus eſt. Sabinus gener eius conſtantinopolim fugit · vnde poſt aliquantum temporis retractus · exilioq; damnatus eſt. Hunc omnem catalogum ut dixi manifeſtorum tirannorum vel inobedientium ducum · optima honorius imperator religione et felicitate meruit · magna conſtantius comes induſtria et celeritate confecit. Merito ſane · quia his diebus precipiente honorio · et adiuuante conſtantio · pax et vnitas per vniuerſam africam eccleſie catholice reddita eſt · et corpus criſti qd nos ſumus redintegrata diſceſſione ſanatum eſt · impoſita executione ſacri precepti · marcellino tribuno bono viro in primis prudenti et induſtrio omniumq; bonorum ſtudiorum appetentiſſimo. Quem marinus comes apud cartaginẽ incertum · zelo ſtimulatus amaro corruptus occidit. Qui continuo reuocatus ex affrica · factuſq; priuatus · vel ad penam vel ad penitentiam conſcientie ſue dimiſſus eſt. Ca · xlvij ·

Anno ab vrbe condita vnum mille · c · lxviij · Conſtantius comes apud arelatem gallie vrbem conſiſtens · magna rerũ gerendarum induſtria gothos a narbona expulit · atq; abire in hiſpaniam coegit · interdicto precipue atq; intercluſo omni cõmeatu nauium et peregrinorum vſu commerciorum. Gothorum tunc populis athaulfus rex preerat · qui poſt irruptionẽ vrbis ac mortem alarici · placidia ut dixi captiua ſorore imperatoris in vxorem aſſumta · alarico in regnum ſucceſſerat. Is ut ſepe auditum · atq; vltimo exitu eius probatum eſt · ſatis ſtudioſe ſectator pacis militare

fideliter honorio imperatori · ac pro defendenda Romana republica impendere vires gothorum preoptauit, Nam ego quoqꝫ ipſe virum quendam narbonenſem illuſtris ſub theodoſio milicie · etiam religioſum prudentemqꝫ · et grauem · apud bethleem oppidum paleſtine beatiſſimo hieronimo preſbitero referentem audiui · ſe familiariſſimum athaulfo apud narbonam fuiſſe · ac de eo ſcelere ſub teſtificacione didiciſſe · ꝙ ille cum eſſet animo · viribus · ingenioqꝫ nimius referre ſolitus eſſet · ſe in primis ardenter inhyaſſe · ut oblitterato Romano nomine romanum omne ſolum gothorum imperium et faceret et vocaret · eſſetqꝫ ut vulgariter loquar · gothia qꝺ Romania fuiſſet · fieret nunc athaulfus qꝺ quondam ceſar auguſtus · at vbi multa experientia probauiſſet · neqꝫ gothos vllo modo parere legibus poſſe · propter effrenatam barbariem · neqꝫ reipublice interdici leges oportere ſine quibus reſpublica non eſſet reſpublica · elegiſſe ſaltim · ut gloriam ſibi de reſtituenda in integrum augendoqꝫ Romano nomine gothorum viribus quereret · haberetur qꝫ apud poſteros Romane reſtitutionis auctor · poſtqm̄ eſſe non potuerat immutator · ob hoc abſtinere a bello · ob hoc inhyare paci nitebatur · precipue placidie vxoris ſue femine ſane ingenio acerrime · et religione ſatis probe · ad omnia bonarum ordinationum opera perſuaſu et conſilio temperatus. Cumqꝫ eidem paci petende atqꝫ offerende ſtudioſiſſime inſiſteret · apud barchilionem hiſpanie vrbem dolo ſuorum ut fertur occiſus eſt. Poſt hunc Segericus rex a gothis creatus · cum itidem iudicio dei ad pacem pronus eſſet nichilominus a ſuis interfectus eſt, Deinde valia ſucceſſit in regnum · ad hoc electus a gothis · ut pacem infringeret · ad hoc ordinatus a deo · ut pacem confirmaret. Hic igitur territus maxime iudicio dei · qui cum magna ſuperiore ab hic anno gothorum manu · inſtructa armis · nauigijſqꝫ in affricam moliretur · in xij · milibus paſſuum gaditani freti · tempeſtate correpta miſerabili exitu perierat · memor etiam illius accepte ſub alarico cladis · cum in ſiciliam gothi tranſire conati · in conſpectu ſuorum miſerabiliter arrepti et dimerſi ſunt · pacem optimam cum honorio imperatore datis lectiſſimis obſidibus pepigit · placidiam imperatoris ſororem honorifice apud ſe honeſteqꝫ habitā fratri reddidit Romane ſecitati

periculum ſuum obtulit · ut aduerſus ceteras gentes que per hiſpa=
nias conſediſſent ſibi pugnaret · et romanis vinceret · q̄muis et ce=
teri halanorum · wandalorum · ſueuorumq; reges · eodem nobiſcū
placito depacti forent · mandantes imperatori honorio · tu cū om=
nibus pacē habe · omniumq; obſides accipe · nos nobis confligi=
mus · nobis perimus · tibi vincimus · immortalis vero queſtus
reipublice tue · ſi vtriq; pereamus Quis hoc crederet niſi res doceret
Itaq; nunc quotidie apud hiſpanias geri bella gentium · et agi ſtra=
ges ex alterutro barbarorum crebris certiſq; nuncijs diſcimus · pre=
cipue valliam gothorum regem inſiſtere patrande paci ferunt. Ex
quo ut cumq; conceſſerint · ut decenter xp̄iana tempora reprehendā=
tur · ſiquid a conditione mundi vſq; ad nunc ſimili factum felici=
tate doceatur. Manifeſtauimus ut arbitror atq; oſtendimus nō
magis verbo pene q̄m digito · innumera bella ſopita · plurimos ex=
tinctos tirannos · compreſſas · coanguſtatas · addictas · exinani=
taſq; immaniſſimas gentes minimo ſanguine · nullo certamine ·
ac pene ſine cede · ſupereſt · ut obtrectatores noſtros molitionum
ſuarum peniteat · veritatiq; erubeſcant · deumq; verum et ſolum q̄
poteſt omnia credant · timeant · diligant · et ſequantur · cuius oīa
et que mala putant bona eſſe didicerunt.

EXplicui adiuuante xp̄o ſecundum preceptum tuum beatiſſi=
me pater Auguſtine ab initio mundi vſq; in preſentem diē
hoc eſt per annos · v · milia ſexcentos · x · et viij · cupiditates · et puni=
ciones hominum peccatorum · conflictationes ſeculi · et iudicia dei
q̄m breuiſſime et q̄m ſimpliciſſime potui · xp̄ianis tamen tempori=
bus propter preſentem magis xp̄i gratiam ab illo incredulitatis cō
fuſione diſcretis · ita iam ego certo et ſolo quē concupiſcere debui ·
obedientie mee fructu fruor. De qualitate autem opuſculorum tu
videris qui precepiſti · tibi p̄iudicanda ſi edas · per te iudicata ſi
deleas.

Beati Pauli horoſij preſbiteri in xp̄iani noīs querulos libri nūo
ſeptem finiunt feliciter. Per Iohannē Schůßler florentiſſime vrbis
Auguſte conciuē impreſſi. Anno a ptu virginis Marie ſalutifero ·
M° q̄dringēteſimo et ſeptuageſimoprimo · Circit iunij nonas ſeptias

Biblioteca Geral da Universidade de Coimbra

GIULIO GIANNINI FIRENZE

P. HOROSII
HISTORIAR
ADVERSVS
PAGANOS
LIBRI VII

AVGSBVRGI
1471